Gerbrandi Bakker Oratio de iis, quae artis obstetriciae utilitatem augere possunt et gratam magis acceptamque reddere.

Contributors

Bakker, G. (Gerbrand), 1771-1828.
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Groningae : Apud Theodorum Spoormaker, 1811.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/g8dxmc8e

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London.This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted.
This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

(θ) D2159-a-4



Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/b28518500

GERBRANDI BAKKER
ORATIO

DE IIS,

QUAE ARTIS OBSTETRICIAE UTILITATEM AUGERE POSSUNT, ET GRATAM MAGIS ACCEPTAMQUE REDDERE.

PUBLICE DICTA

DIE II. MAII CIↃIↃCCCXI.

CUM

IN ACADEMIA, QUAE GRONINGAE EST, ORDINARIAM ANATOMES, PHYSIOLOGIAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE PROFESSIONEM AUSPICABATUR.

GRONINGAE,
APUD THEODORUM SPOORMAKER.

E TYPOGRAPHIA W. ZUIDEMA.

COLLEGE OF PHYSICIANS

ROYAL COLLEGE OF PHYSICIANS
LIBRARY

CLASS	61
ACCN.	~~13433~~
SOURCE	51423
DATE	

G. BAKKER

ORATIO

DE IIS,

QUAE ARTIS OBSTETRICIAE UTILITATEM AUGERE POSSUNT, ET GRATAM MAGIS ACCEPTAMQUE REDDERE.

ACADEMIAE RECTOR MAGNIFICE!

QUIBUS RERUM ACADEMICARUM CURA COMMISSA EST, VIRI PERILLUSTRES!

QUARUMCUNQUE DISCIPLINARUM PROFESSORES CLARISSIMI!

QUI REM SIVE PUBLICAM SIVE SACRAM MODERAMINI, VIRI ORNATISSIMI, PLURIMUM REVERENDI!

QUARUMVIS ARTIUM DOCTORES ERUDITISSIMI!

QUOTQUOT PRAETEREA ADESTIS, CUIUSCUNQUE ORDINIS AC DIGNITATIS, AUDITORES EXOPTATISSIMI!

VOS DENIQUE, QUI HAC IN ACADEMIA AD VITAE BEATAE ET FRUCTUOSAE PRAESIDIA COMPARANDA ANIMUM ADPELLITIS, IUVENES PRAESTANTISSIMI!

ORA-

ORATIO.

Quicunque in rerum naturalium ſcrutationem intentus vires obſervaverit, quibus corpus animale inſtruxit ſapientisſimus rerum Creator, ſtupendam certe mirabitur organorum fabricam, quorumvis animantium vitae generi neceſſariam, et ad ſui ipſius conſervationem inprimis accommodatam. Namque ſuo quodque modo nutriuntur quotquot ſunt animalia; quae imminent pericula, ſenſuum artificio percipiunt, armis avertunt, velocitate effugiunt artuve prorſus eludunt: quin et dantur, quorum vita per longum temporis ſpatium ſopita quaſi denuo resſuscitatur, et alia, quae viribus inſitis integra membra truncata reſtituunt. Tanta ſa-

pientia et benignitate ſunt compoſita Naturae opera, ut quae perfectioribus animantium clasſibus longior aetas et magis complicata corporis machina adfert vitae commoda, his non minora certe, aequa ſatis lege, abiectioribus concesſerit.

Quae licet ita ſint, fragile admodum nihilominus deprehendimus esſe corpus animale. Neque ſolius fragilitatis verum et ſexcenta alia pericula vitae inſidiari, funeraque immatura numerum eorum, quae ſenectutis fato ſuccumbunt, longe ſuperare, nemo est quin animadverterit. Conſtans itaque existimanda est haec lex Naturae, ut ipſa perdat quae produxit; ut leto tradat quae optimis vitae praeſidiis munivit; ut cives inmolet ſingulorumque jacturam faciat, ne respublica turbetur. Hanc tuetur ſemper, cavendo ne pereat ſpecies: atque hoc titulo inprimis nomen conſervatricis illi tribuendum est: maximum enim praecipuae huic curae momentum adjecisſe illam vel inde patet, quod vix ullum, ne ex inermium quidem et timidisſimorum animalium generibus, penitus delere potuerit rapax hominum ſaevitia.

Ne-

Neque et humanum genus, quamvis vitae tenuissimae ac mille plagis perculsum et labefactatum, damna sua resarcire cessat: quid? quod a singula generatione auctior fere posteritas evadit.

Auxilia, quibus hunc scopum primarium Natura semper attingit, consideranti patet, non iisdem conservari humanum et brutorum genus. Scilicet haec ad eamdem semper normam ducuntur; his, a rerum initio ad hunc usque diem, iidem morbi, eadem sunt remedia; fortioribus aequalis est voracitatis gradus, debilioribus praedarum numerus; aliis stirpem conservat partus a vita longaeva saepius repetitus; aliis fertilitas maxima; alia denique, plantarum instar, procreantur e surculis, aut sexu androgyno aut generatione ambigua: quin et animalibus domesticis, quae, aberratione a statu naturali, observationum copiam nobis praebent, rarior est partus difficilis, vix unquam uterus sterilis vel abortivus.

In humana quoque specie propaganda latius patere videtur Naturae cura, quam in conservatione corporis individui. Novum saepe graviditas delicatissimae feminae

viribus addit robur ignotumque vigorem: osſium fractorum coalitus, ne nutritionis detrimentum foetus capiat, ad partus terminum differtur; ſopitur visceris vitalis dira labes: quae, ut ignis ſuppoſitus cineri doloſo, vixdum edita progenie, in vivas flammas exarſurus, brevi conſumet officio materno ſacratam victimam. Imo et in enitendo partu mirandae ſaepe ſunt Naturae vires, quibus amoventur exeunti foetui oppoſita tot et tanta obſtacula, ut vinci posſe vix credat, niſi qui intentisſima parturientium molimina viderit expertus.

Undenam vero ista humani generis infelicitas, ut nostris in terris natorum vigeſimus lucem haud adſpiciat; ut medius eorum numerus aetatem virilem vix attingat; ut non rarus ſit partus molestus et frequentior etiam abortio? Num forte a ſtatura erecta aut corporis teneritudine derivari potest hoc nostrae ſpeciei proprium malum? Haud quaquam A. A.! Namque et parturiendi difficultas non niſi paucas matres premit; et populi incultiores, huius functionis facilitate, animalibus vix ſunt inferiores.

Hu-

Humana autem ratio et ingenium artibus excultum corpus hebetat. Luxuries et ambitio, paupertas et auri corradendi ardor, otium et labor immoderatus tam animi quam corporis iliadem malorum concitant, quae, aut ſenſim increscendo aut rapidi torrentis inſtar, cultiorem generis humani partem penitus delerent, niſi eodem ingenio, eadem cultura derivaretur, et, quae iam fecerunt mala, idoneo obice averterentur. Sic annonae difficultati, ex nimia victus conſumtione ortae, oppoſuit argriculturam perfectiorem et mercaturam; crudeliſſimis bellis ſalutifera luis vaccinae vulnuscula; morbis medicinam, infaustaeque Lucinae artem obſtetriciam.

Dubitatisne A. A.! An haec ars tanti ſit, ut inter ingenii fructus uberiores et humanae ſalutis praeſidia referri mereatur? Haud injustum prorſus dici potest illud dubium: etenim ars obſtetricia, per longa ſaecula, detrimenti plus an emolimenti humano generi attulerit, ſtatuere vix auſim. Quum vero nulla fingi posſit disciplina, quin ortum ſuum et incrementum debeat temporis, ingenii et ſtudiorum opportunitati,

non

non potuit quin, longo demum tempore post renatas literas, ad hodiernae perfectionis culmen perduceretur obſtetricia; quippe cujus doctrina ſuis premitur difficultatibus, non niſi temporis et loci beneficio ſenſim amovendis.

Ea profecto est huius aevi felicitas, ut ubique ſplendeat nostrae disciplinae lumen; ut gaudeamus ſcholarum exquiſitarum numero, et medicorum ad artem rite addiscendam ſe adcingentum copia: inter quae huius aetatis commoda laeto atque grato animo recordamur Reipublicae Rectorum paternam in nostros Cives pietatem, ſancitis de univerſa arte medica legibus conſpicuam.

Neutiquam itaque incultus jacet fecundus ager; non autem tam generoſae frugis ſegetes ferre hucusque ſolet, quales a naturali fertilitate exſpectares, vel cultorum labori et aerumnis respondere diceres. Verum aliud est duros exantlare labores, aliud humi naturam noscere, deducto a fonte rivulo, irrigare ſicca, omnemque industriam in re ponere. Et profecto, ſi quae alia, ars obſtetricia digna est, ubi nervos intendant

quot-

quotquot eam factitare inſtituerint; ſive illius ambitum ſpectes, ſeu momentum ſeu denique ejus exercendae difficultatem et molestiam.

Quae cum ita ſint, non abs re fore arbitrabimini, A. A.! ſi, hoc ſolenni die, Anatomes, Phyſiologiae, Chirurgiae et Artis obſtetriciae docendae provinciam auspicaturus, viam monſtravero et adparatum, ad hanc artem rite discendam atque colendam apprime necesſarium, et dixero *de iis, quae artis obſtetriciae utilitatem augere posſunt, illamque gratam magis acceptamque reddere.*

Accipite dicentem, qua estis, benevolentia; nec displiceat, etiamſi ſolitam huic Auditorio facundiam non habitura ſit, oratio.

Ut disciplinae obſtetriciae, quo hodie colitur ambitu, dignitas, et ſcientiae copia, quae praxin feliciter exercitaturus cum maxime est acquirenda, melius innotescant, errorumque fontes praecipui detegantur, nostri aevi prae ſuperioribus ſaeculis praeſtantiam paucis illustrare opportunum videtur. Videtis, facile A. A.! Artis titulum vix merere rudem istam

atque vagam empiricen veterum medicorum: quippe quibus compagis osseae in corpore humano ac partium mollium, praesertim matricis, fabricam anatomice indagare denegaverat temporis morumque ratio: quibus quidem minus cognitis, mechanismum partus ejusque causas haudquaquam explicari posse et ultro patet, et medicorum Graecorum atque Arabum scriptis abunde confirmatur. Remedia hinc, in partu difficili ab obstetricibus adhibita, vel vana fuere ac futilia: cujusmodi sunt suffitus, frictiones, amuleta; vel nocentia, uti concussiones vehementes, sternutatio ore clauso et compressis naribus ceteraque anili traditione recepta. Hisce vero ut plurimum fallentibus, si periculum in mora esse censeretur, ad medici auxilium erat confugiendum.

Hic manu non armata vix ullam opem ferre valebat: infantis enim iniqua positio quo minus in meliorem mutaretur, impedivit infelix error, in quo versabantur complures atque gravissimi illius temporis medici: docentes omnem situm, a solita Naturae norma deflectentem, ad illam, quantum fieri posset, reducen-

cendum esse. Quem tractandi modum, inutilem saepe neque laboris non plenum, deficiente sana theoria, rarissime faustum habere eventum potuisse, non est quod dicam.

Partus vero agrippini, id est pedibus praeviis, fere pro infelicissimis habiti fuere: non tantum propter ipsius puerperii difficultatem, verum etiam, quod inde nascentibus, imo et humanae societati mala quaedam portendi nonnulli opinabantur: sic enim PLINIUS: „In pedes procedere nascentem contra naturam est; quo argumento eos appellavere agrippas, ut aegre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico probe felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quamquam is quoque, adversa pedum valetudine, misera juventa, exercito aevo inter arma mortesque, ad noxia successu, infelici terris stirpe omni, sed per utrasque Agrippinas maxime, quae Cajum et Domitium Neronem Principes genuere, totidem faces generis humani; praeterea brevitate aevi, quinquaginta uno raptus anno, in tormentis adulteriorum conjugis, socerique praegravi servitio, luisse augurium praepos-

teri natalis existimatur. Neronem quoque, paulo ante Principem et toto Principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina."

Alius errorum fons oriebatur ex angustis, quibus circumscripta erat finibus, physiologia: quae proximam et primariam felicis puerperii causam ponebat in ipsius infantis vita. Hinc ex insolito positu vel proportione mala aliisque partus impedimentis, ad infantis mortem, ut ab effectu ad causam, argumentatione progressi, nondum natum laedentibus instrumentis aggredi haud dubitabant. Neque alia nisi mortifera instrumenta eo tempore praebuit artis armamentarium; quae adeo in omni difficilis partus genere applicare coacti fuere, „ne, ut ait TERTULLIANUS, foetus matricida moriturus esset."

Pulsa medii aevi caligine, literarum lux nostrae quoque disciplinae adfulsit. Conditae, inprimis in Gallia et Germania, quibus medicina summopere amplificata est, complures Academiae, variaeque de mechanismo partus ejusque impediti causis et remediis, me-

medicorum ſententiae, investigationes et pericula artem obſtetriciam adeo emendarunt et auxerunt, ut, quocunque modo poſitus ſit foetus, Naturae viribus neutiquam ſolvendus, ſola manu, plerumque vivus in lucem produci potuerit.

Potuerit, inquam: Etenim tantum abfuit, ut propagatos artis limites aequaverit artificum peritia, ut XVII adhucdum ſaeculo, divulgatis licet PAREI imo et MAURICAEI ſcriptis, obſtetricantium manibus vixtuta committeretur infantis vita. Maior pars obſtetricum, Terentianae Lesbiae haud disſimiles, animis incultis ſordidaque ſuperſtitione inquinatis, artem exercere ſolebant, inde a PLINII aevo ferme non mutatam. Chirurgo ad puerperii lectulum raro patebat aditus, niſi rebus desperatis. Nec mirum: mulieribus enim miſeris terrorem incutiebant vulnera, non ſine matrum periculo, infantibus infligenda; qua cauſa quoque factum est ut ἐμβρυουλκιὰ, cui rite discendae etiam opportunitas deërat, parergi in modum fungerentur Chirurgi. Medicinae autem Doctores, ut ab Hippocratico more et praeceptis non uno modo de-

flectebant, ſic artem quoque, quae manu medetur, cane pejus vitabant et angue.

Multis hinc obprobrio fuit disciplina obſtetricia, et cultores ſuos dedecore quodam adficere ſolebat. Cujus ignominiae depellendae laus tribuenda est LUDOVICO XIV, Galliae Regi; utpote qui chirurgum quemdam Pariſienſem nobilitate donavit, addito Obſtetricantis vel Obſtetricii viri, ad id tempus minus uſitato, titulo.

Ejusmodi honores, cum non paucos traherent, ipſam quoque artem haud parum augebant. Praecipuum vero incrementum praebuit exemplum et uſus, quae vagas vulgi opiniones quandoque in communem ſalutem posſunt convertere. Quod quidem de Gallia inprimis conſtat: ab eo enim inde tempore, Regiae ſedis incolae chirurgorum obſtetricantium auxilium quaeſiverunt; quod capitis exemplum ſecutae ſunt ceterae regni partes, imitavere principes Europae gentes.

Ad ſummum denique faſtigium doctrinam evexit inſtrumentorum perfectio. Ne tamen exſpectetis, A. A.! quibus ceterae artes tantum debent, exquiſitisſimorum

et

et mira arte fabricatorum inſtrumentorum opes, adtendatis velim artem obſtetriciam maxima moliri parvis, ſimplicisſimumque adparatum gravisſimis periculis opponere. Qua vero veterum praeſtantisſimo mechanico ingenio nostra aetas palmam praeripit, est cognitio illa mechanismi corporis vivi, est cognitio viae, qua partum dirigit Natura, anatomica corporis feminei et foetus indagatione, ut et accurata obſervatione et justa experientia atque uſu comparata. Pelvis osſeae compoſitio; axis ejus, et angulus, quo perpendicularem corporis lineam ſecat; dimenſio cavi, quod in pelvi est, variis variae capacitatis diametris distincti; infantilis praeterea capitis forma et diametralis menſura, tam proportione quam poſitu, pelvis diametris apprime conveniens; ipſius denique capitis, cavum osſeum intrantis, progredientis et exeuntis motus ac directio; haec omnia normam conſtituunt, inſtrumentorum figurae et compoſitioni determinandae unice aptam.

Huic autem normae idoneas virtutes conjunctas reperimus in forcipe obſtetricia hodierna; qua, utroque ejus brachio, ſeparatim capitis lateribus applicato rur-

ſum-

ſumque inter ſe juncto, partus abſolvitur, ſine ulla ſive infantis ſive matris laeſione, et nonnunquam ipſius Naturae actione tutius ac facilius.

Forcipem, inſtrumentum in re domestica et chirurgia uſitatisſimum, ad artem obſtetriciam transtuliſſe leguntur quoque veteres: quae autem, cum brachia indisſolubili nexu juncta haberet, infantis vitae parum potuit prodesſe. Saeculo demum XVI ad finem perducto, Anglica CHAMBERLENORUM familia in uſu habere coepit inſtrumentum, partui, foetu vivo, abſolvendo aptum: quod inventum, nunquam antea divulgatum, unus e CHAMBERLENIS cum ROGERIO RHOONHUIZEN, medico ac chirurgo Amſtelaedamenſi ejusque ſociis celeb. RUISCHIO et CORNELIO BOEKELMAN communicavit. Ex forcipum genere fuerit illud inſtrumentum, an vectis, ad capitis formam incurvatus, non ſatis patet. Certum tamen est, arcani RHOONHUISIANI participes non niſi ejusmodi figurae vectem, cujus parandi unum forte ex forcipis brachiis primam cogitationem injecit, produxisſe. Quo ſimplicisſimo inſtrumento, forcipe licet, qua hodie utimur,

mur, inferiore multos certo leto perituros eripuerunt viri μυςαγωγήτοι, et qui aetate praecesferant, arte longe ſuperavere.

Adeo longinqui ſunt, A. A.! et absconditi novorum inventorum fontes et origines; tantaeque molis est impedimenta bono publico objecta amovere, ut utilisſimae artis fines proferre ne Graecorum quidem cultisſimo ingenio fuerit licitum.

Ex hac vero, quam retulimus, ſuccincta historia clarisſime quoque apparet, quam arctisſimo vinculo conjungantur artes; non tantum inter ſe, verum etiam cum gentium Religione et moribus: quorum causâ ab humani corporis disſectione, tanquam a ſacrilegio, antiquitus arcebantur medici. Neque Christianae Religionis tenella aetas, tot tantisque agitata calamitatibus, nec illius adolescentia, ſtupore et vitiis oppresſa, divina humanitatis praecepta ad colendas doctrinas et artes in rem ſuam convertere didicerat.

Sed dolenda magis et maxime improbanda fuit vel ſordida avaritia, vel vana ambitio eorum, quibus, dum ipſi oborta luce gaudebant, ceteros homines umbrae

et tenebris relinquendo mirifice ſibi placebant. Etenim quis crediderit, niſi fide historica certior factus, nostram Patriam et univerſam fere Europam, integros LX annos, destitutam fuisſe remedio, quo pauci arcani conſortes opem ferebant ſuis! Donec tandem Amſtelodamenſes medici JACOBUS DE VISSCHER et HUGO VAN DE POLL, pacto pretio, inſtrumentum illoque utendi rationem ſibi pararunt et publici juris fecere. Praeſtantisſimum ſane et omni laude dignum eximiorum virorum facinus; quod vero cum non ante obitum chirurgi JOHANNIS DE BRUIN perfici potuerit, accidit, ut arcanum Rhoonhuiſianum in lucem prodierit post duos annos, quam egregius LEVRETUS forcipem ſuam, nova, axi pelvis congruente, curvatura auctam, denuo edendo, artem obſtetriciam ſummopere ditaverat, et humanae ſaluti optime conſuluerat.

Ad quemnam perfectionis gradum, hac ſola curvatura, ſuum inſtrumentum perduxerit vir ſummus, vel ex eo elucescit, quod, ex magno ſatis forcipum, quas postea unusquisque fere rei obſtetriciae auctor inve-

venire ſtuduit, ab anno praecedentis ſaeculi LI ad hunc usque diem, ne una quidem prodierit Levretianâ vere ſuperior. Quod quidem ita intelligi nolo, quaſi nullam prorſus utilitatem adtulerit major utriusque curvaturae angulus, aut juncturae, manubrii aliorumve partium mutata forma; verum ita, ut in manu prudentis illiusque formae adſueti operatoris, partui celeriter, tuto ac jucunde abſolvendo omnino parem esſe laudatam forcipem, neque cedere aliis, contendam.

Methodus applicandi inſtrumenta, vertendi foetum in utero, atque inprimis doctrina ſignorum, quae indicant, utrum partus Naturae relinquendus an arte, et quonam auxilii genere, illi ſuccurrendum ſit, ſummam faciunt disciplinae obſtetriciae; quae, ut firmo talo ſtare valeat, fulcri inſtar eget artibus, quae maximo illi ſunt auxilio; quarum prima leges phyſico-mathematicas, altera vires complectitur, quae corporis animalis functionibus praeſunt. Quis enim, quaeſo, unquam par erit ſolvendo artis problemati, quo proponitur: *per datam pelvis capacitatem, educere foetum determinatae*

magnitudinis, nisi cui accurate innotuerit et mente reposita praesto sit forma corporis educendi, ac viae per quam educi debeat?

Nimirum anatomicam pelvis, partium contentarum et adjacentium, ut et infantilis corporis notitiam esse fundamentum, quo deficiente, mole sua ruat ipsa artis scientia, extra omnem dubitationis aleam ponit historia. Itaque, qui suam observationum copiam qualemcunque pro constantium Naturae legum cognitioni substitui posse opinatur, vehementer profecto fallitur. O egregium illum artificem! morte et miseriis nempe exstruit experientiam infirmam plerumque, vacillantem saepius, serius ocius in temerarium caput relapsuram. Cognitis vero, quaecunque explicat anatome; perspecta insuper, quam Natura dux infanti exituro monstravit, via; diligenter consideratis capitis et pelvis diametris tam congruentibus quam oppositis; axe, quem caput percurrit; punctis, quae tangit; lineis, quas secat; circuli quadrante, quo rotatur circa axem suum perpendicularem; arcu, quem circumscribit mentum a pectore remotum; versatione de-

denique, quae, rotatorio motui contraria, post exitum, ſitum capitis restituit; his inquam diligenter obſervatis, quid obſtat, quo minus partes obſtetricias feliciter agamus?

Certe ſi quis omnia, quae pertinent ad partus naturalis actionem, probe comprehenderit, non potest, quin a vana empiricorum jactantia tam longe abſit, quam, multa adhuc in disciplina obſtetricia discenda ſuperesſe, ſibi habet perſuaſisſimum. Verum et in ipſam ſimplicioris hujus partus mechanismum nemo facile penetraverit, niſi in auxilium vocatis disciplinae mathematicae praeceptis. Nam mechanica principia esſe modo vidimus: ex quibus legibus partu explicando, artem quam maxime illustravere viri principes LEVRETUS, SMELLIUS, CAMPERUS, quique iis ſucceſſerunt auctores; quorum inſtitutiones lectorem requirunt, in doctrina gravitatis, motus et inſtrumentorum ſimplicium nequaquam hospitem. Exempli cauſa ponamus directionem, quam ſequitur infans in partu naturali, ejusque cauſas. Receptaculum ſcilicet foetus, vividisſima, qua praeditum est, incitabilitate ſe contrahit:

hac contractione infans, intercedente aqua membranis inclusa, et, postquam aqua effluxerit, ipso utero comprimitur. Hujus motus compositi vires, ab omnibus uteri punctis emissae, contentum foetum deorsum pellunt, ad locum agendi facultate longe inferiorem, ad uteri ostium. Patet hoc ostium in pelvis ossei cavo, ad infantis caput, non vero nisi justa et determinata positione, recipiendum apto. Mento ad pectus inclinato, vertice praevio, occiput, ad alterutrum latus pelvis, in introitu ita positum est, ut pelvis diameter obliqua capitis diametro longitudinali, utraque maximâ, respondeat.

Si quando, corpore erecto, rectam lineam transmittas per centrum aperturae superioris pelvis osseae; in horizontem cadere observabis istam lineam, ad angulum 59°. Linea vero, quae secat partes centrales pelvis inferioris, priori neutiquam invenitur parallela, angulum quippe faciens horizontalem 13° magnitudine illum superantem. Componitur itaque axis pelvis communis ex duabus lineis, in medio cavo, ad angulum 167° convenientibus: quarum superior, sursum continuata,

axin

axin conſtituit uteri gravidi, ſeu lineam directionis, quam ſequitur foetus, Naturae viribus propulſus. Linea haec, infantis collum et baſin capitis oblique ſecans, terminatur in occiput; quam ob cauſam haec pars maxime promovetur, et, in partu normali, praevia ſemper invenitur.

Nulla tamen vis, quantumvis vehemens, ſufficeret ad vincendum pelvis renixum; niſi, ex hoc ipſo obſtaculo, aliûs generis motum caput pateretur, itidem ad compoſitos referendum. Tali ſcilicet ratione conſtructa est pelvis illa caverna osſea, ut ejus aperturae ſuperioris diameter maxima directionem ſequatur oblique-transverſam; medii contra cavi et imi capacitas major ſit in linea, quae ducitur ab antica ad posticam corporis partem. Quum autem, ad partum feliciter abſolvendum, infantis et pelvis diametri majores ſibi mutuo respondeant necesſe ſit, ſequitur, caput, pelvim permeans, motu rotatorio circa ſuum axem verticalem, quadrantem circuli percurrere debere, evitando quantum licet puncta contactus, quae pelvis praebet, atque obſtantibus osſibus cedendo.

De-

Denique (nam taedium vobis afferre ſentio didacticum ſermonem, ab oratorio non nihil alienum) ad exitum pelvis protruſum caput volvitur circa ſuum axem transverſarium, mentumque a pectore removetur: cujus motus cauſa iterum quaerenda est in angulo vel curvatura axis, quem pelvis habet. Occiput nempe descendendo primas agit, quamdiu ſitum est in axe ſuperiore, qui, uti dictum, axem uteri directione aequat. Simul autem atque, axin inferiorem ſequens, antrorſum dirigitur, actio lineae directionis uteri determinatur unice in partes capitis anteriores, et, vix educto occipitio, frontem et faciem expellit.

Videtis, A. A.! problema, quo nihil majus, nihil antiquius humano generi excogitari potest, ſimplicisſimo mechanismo ſolutum: atque mecum admiramini mechanicas leges, quas, in hominis nascentis gratiam, Naturae impoſuit Creatoris ſapientia, easque vitae corporeae tam penitus commixtas, ut, his illisve deficientibus, turbetur actio, impediatur partus; tantoque inſuper honore dignatus fuit ingenium humanum, ut Naturae difficultates elevare, quaeque ipſum corpori fecit vulnera, reſarcire jusſerit.

Si

Si verum est, omne artis auxilium componi debere ad normam, cui partum naturalem adſtrictum voluit Natura, facile perſpicitis, A. A.! bene cognita haec Naturae norma quantum valeat ad explicandam et corrigendam axis uterini aberrationem; quantum in emendanda poſitione infantis iniqua, in conſtruendis et applicandis inſtrumentis, in univerſae denique artis adminiſtrandae ratione.

Quodſi vires vitae languent vel prorſus deficiunt, arti, functionum naturalium imitatrici, datum est infantem incolumem in lucem proferre. At vero validisſima Naturae conamina ſalutare opus ad finem perducere incasſum quandoque tentant, ſicubi pelvis coarctatio, infans monſtroſa mole auctus, aliaque ejusmodi mechanica obſtacula reſistant. Hinc ſequitur, dixerit aliquis, virium vitalium harmoniae et univerſae oeconomiae humanae inſcitiam obſtetricanti in partu expediendo vix obſuturam esſe. Expediet quidem, qui cetera artis praecepta probe noverit, ſed viri eruditi, artisque, quam profitetur, omnino periti titulum jure ſibi vindicare haud debere contendo. Praeterquam enim quod ſtudiorum ardor et impe-

tus, ad artis principia discenda necesſarius, in limine ſubſistere nesciat, omnesque, qui ad propoſitum ducunt, labores exantlare ſoleat, dubia ſemper erit et incerta res obſtetricia, ſi fundamento destituatur, quod omni medicinae praebet doctrina phyſiologica. Ne dicam de elegantia, quae disciplinae cultorem ab empirico inprimis distinguit, deque literarum ſuavitate, nemini non jucunda niſi ignoranti: at fingite vobis A. A.! obſtetricantem, quem fugiunt ſanguinis circuitus et ejus efficacia; nervorum functio illorumque mirabilis ſympathia; graviditatis effectus in corpore materno; embryonis foetusque nutritio, diverſaque hujus a recens nati vita: quis credat artem obſervando aucturum esſe, vel, in caſu inopinato, recte curaturum eum, quem prima origo cauſae fefellerit? Nam, ut curvi norma rectum, ſic morbi cognoscendi praeſidium est distincta ſanitatis notio. Cum autem corpus femininum, in quocumque generationis ſtadio, propter vitam vegetiorem, ſit pronum in valetudinem foetui inprimis noxiam, cuivis obſtetricanti in promptu esſe debet abortuum aetiologia, illosque praecavendi, pro di-

ver-

verſis cauſis, diverſa ratio. Instante vel terminato partu, diris convulſionibus, exanimanti lipothymiae aut ſanguini pleno rivo fluenti, non uno modo occurret ſapiens medicus. Etenim licet experientia multum hic faciat, plurimum ſane praeſtat conſilium prudens. Acutisſimorum horum affectuum haud raro quidem cauſa latet, nonnunquam optimis remediis frustra tentatur; ſaepisſime vero medicamina eludet, quibus, neglecta cauſa, ipſum morbum aggredi ſibi proponit empiricus.

Signa characteristica morborum graviditatem mentientium, veluti tumores intestinales, aquoſa imi ventris aut ipſius uteri colluvies certo fugient eum, quem latent praecepta theoriae et praxeos medicae; eoque certius, quo magis complicati fuerint hi morbi, vel, et ipſi graviditati ſupervenerint. Uno verbo: quicunque optato ſucceſſu, parturientibus opitulari, et bonorum commendationem habere voluerit, phyſiologiam callere, chirurgiae peritum, neque in medicina hospitem esſe illum quam maxime decet.

Artem obſtetriciam ornat Medicus; qui, licet illius muneris vinculo non adſtrictus, ejus ſtudium haud neglexerit: multae quippe res puerperio obveniunt, quarum penes medicos judicium est. Saepisſime obſtetricantem conſilio adjuvet ingenium medici; at non ſemper illi praeſtando par erit, niſi artem experiundo edoctus fuerit; ut in omni caſu, quo non, niſi ex perfecte cognita vitioſioris pelvis menſura, conſtat indicatio, ad quodnam auxilii genus confugiendum ſit, ut funestisſimi eventus, quantum posſunt, arceantur.

Inter mulieres, quibus, ab omni aevo ad hunc usque diem, cura puerperii commisſa fuit, existere quis dubitaverit, quae re vera mereant, quem nostrates aliique ipſis tribuunt, ſagacitatis titulum? His autem, praeditis facultate comparandi orbem, quem implet doctrina obſtetricia, cum finibus, quibus ſuum officium et uſus circumſcribitur, rarius imponet incautos ſeducens ſymptomatum fallacia: has non retinebit vana gloria, quin, cum opus fuerit, doctiorum auxilium ſaepius advocent. Verum non deſunt, quae, invita

Na-

Natura, artem aggredientes, vel fluctuante animo tempus et occaſionem agendi perdant; vel, quod peſſimum est, inconſiderate et praecipitanter omnia tentent, Naturae actionem perturbent, culpaque ſua et facinore errores prudenter tegere conentur. Harum quidem effraenatam temeritatem ſevere compescere, illarum vero imbecillitatem conſilii, quantum fieri potest, erigere medicorum est. Medico nimirum multa pateſiunt, quae latent alios; medicus nihil eorum, quae ad hominum vitam et ſanitatem pertinent, a ſe alienum putat; medicum itaque decet omni opera eniti, ne mala arte opprimatur functio, quae Natura tantis praeſidiis armavit: atque in hac re eo felicius verſabitur, quo disciplinae obſtetriciae copiâ fuerit inſtructior. Sunt A. A.! qui tum demum praegnantium ſaluti bene prospectum iri cenſent, ſi ſolis virorum manibus mandata fuerit rerum obſtetriciarum cura: quid enim, dicunt, obſtetricum ingenio tardius, quid earum doctrina incultius, quid conſilio fingi potest levius? At conſiderate mecum ingentem numerum partuum, qui, hoc facto, obtingerent ſingulo obſtetricanti chi-

rurgo: quippe quorum longe maxima pars confluxura esset ad regiones, opibus et vitae commoditatibus praestantes, relictis nudis et vacuis, quotquot rerum angustiis laborarent, locis. Recordamini mecum praemii, haud ita pridem a vicinae regionis Rectoribus propositi, eum in finem, ut, in illa regione, tam virorum quam mulierum obstetricantium defectus suppleretur. Quod consilium cum, jam feliciore illo tempore, expresserit necessitas, videtis quam parvo contentus esse debeat, qui hisce diebus in arte factitanda tempus consumere constituerit. Horum insuper confluxus ad illas natalis nostri soli partes, in quas commercium maritimum prae aliis divitias olim congesserat, adeo ibi diminuit obstetricum fortunas posteaque numerum, ut metum vix ponere ausim, ne, deficiente aliquando muliebri officio, in dies aucta pauperum frequentia, omni auxilio destitutae miserrimae suae sorti penitus relinquantur puerperae.

Rei itaque publicae necessarias, nec arti, quam faciunt, dedecori esse obstetrices, haud negaverim: dummodo caveatur, ne ad Lucinae sacerdotium admittantur

ni-

nisi sacris initiatae; nec honore et commodis priventur, quae cuivis homini, omnes sui officii partes rite implenti, debentur. Novi equidem, non multas sane, attamen novi obstetrices, quae felicissimo ingenio tantam doctrinae copiam morumque suavitatem jungebant, ut multi ex majoris tituli viris comparationi cum illis sustinendae vix pares esse viderentur.

Nostra in Patria obstetrices, ab usu instrumentorum, semper amoverunt consuetudo, et leges a quarumdam urbium Magistratibus latae: quarum legum causa a vulneribus, forfice et unco inflictis, haud scio an sit repetenda. Sed et haec instrumenta neque conveniunt leniori muliebri ingenio, neque manibus minus exercitatis. Quamquam vero forcipis applicatio periculo minime aequat infantis versionem, quae obstetricibus nunquam denegata fuit, haudquaquam tamen mos vetandi forcipis usum reprobari debet; quum tanti ambitus disciplinae addiscendae et experiundae feminis saepius occasio desit, neque colenti suppetat merces, nec adeo inter se congruant labor honosque. Atque haec inter primas causas referenda est, cur ingenii acie et liberaliore cultu insignes

fe-

feminae non nisi rarissime artem nostram aggrediantur: in qua factitanda sexus sequior, ut ingenii celeritate minime cedit viris, ita patientia, lenitate et indulgentia illos superare, inter omnes utique constat.

Hae virtutes, tam aptae ad mulcendos viriles animos, a nullo obstetricante, rem feliciter gerere cupiente, alienae esse debent; harumque justa et rite temperata conjunctio cum fortitudine et constantia, quae viros decent, virile ingenium ad artem factitandam magis accommodatum reddit. Indulgentissimus itaque sit, quisquis opem ferre velit patienti dolorem et anxietatem, quae feminei corporis et animi temperiem vividiorem immoderatius identidem agitant. Perferat omnia, nil nisi praegnantium commoda et salutem respiciens; concedat omnia, exceptis revera nocentibus: sin autèm de optima partus terminandi ratione consilium ceperit, ab illo se detorqueri non sinat; importuna adstantium proposita breviter refellat, ipsiusque parturientis animum quovis meliori modo quietum reddat; experientia persuasus, gratiam sibi a felici matre habitum iri.

Quo-

Quotidiana obſervatione conſtat, praeſtantisſima remedia intempestivo uſu noxia fieri; quod et de forcipe obſtetricia verum est: hujus enim quo major est utilitas, eo frequentior fit uſus, inconſideratior applicatio, pejor fama, gravius malum. Non loquor de imperitis aut temerariis, quibus inſtrumenta ſunt ut gladius in manu inſanientis; nec de profano obſtetricantium vulgo, qui, majoris lucri, ne dicam praedae cauſa, „ histrionum more, uti verisſime CELSUS ait, parvam rem attollunt, quo plus praestitisſe videantur;" qui, artem improbe jactitando, terrore exanimant miſeras, quarum aegritudinem obtundere optimo cuique jucundisſimum est invitamentum laborumque dulce ſolamen; verum etiam experti et probi hunc in ſcopulum nonnunquam offendunt; ut adeo ſi quis, ex dato obſervationum numero, ſtupendam partuum armata manu abſolutorum copiam conſideraverit, ablata forcipe, de genere humano fere actum putet. In hunc errorem abducuntur, qui vel ſuo tempori nimium parcunt, vel Naturae justo minus credunt, vel denique moram impatienter ferunt. Verum tamen qua de cauſa fiat, re-

probandum ſemper erit artificium, quod Naturae operam turbat, raptimque et festinanter praecidit, quae illa lente et facile praeparando moliatur; id quod absque periculo fieri non posſe, cuivis medicorum notum est ut nihil magis.

Naturae actionem obſervare, enormes impetus componere, languentem excitare vel arte ſupplere, objectaque impedimenta amovere officium est obſtetricantis. Saepius vero convenit ſpectatorem agere, et re minus, quam conſolando vel conſilio juvare: quod autem nemo facile praeſtiterit, niſi qui hominum mores et ingenium bene cognitum habet, et ea gaudet urbanitate, „ in qua, auctore QUINCTILIANO, nihil abſonum, nihil agreste, nihil inconditum, nihil peregrinum neque ſenſu, neque verbis, neque ore gestuve posſit deprehendi." Hac dote inſtructum esſe decet, quicunque, quas ſexus diverſitas adfert, difficultates ſuperare et iniquas ex animis evellere velit opiniones. Videmus quidem parturientes obſtetricantem ferre morum ſatis incultorum et minus elegantium: ferunt autem ast invitae; atque ſi novae ſint et ad partum rudes, mo-

les-

lestias, quae ſoli artifici propriae ſunt, arti tribuere, ipſumque in mala neceſſaria referre ſolent. Quae ut evitet, ut acutioris ingenii feminis placeat, bonarum in deſiderio ſit, et multorum ſaluti inſerviat, omnem curam in artis ſtudio et honore, morumque decore et honeſtamento impendat, oportet.

Princeps autem honeſtatis atque integritatis fons, ex quo omnes virtutes manare debent, eſt ſenſus ille humanitatis; qui, vitae felicitatem augeat an imminuat, inter multos licet ambigatur, a quovis tamen poſſidentium certe gratiſſimorum Naturae munerum numero habetur.

Cum vero ad leniora ſemper inclinent, qui hac animi indole gaudent, hominumque miſeriis plurimum afflictantur, in ignavum languorem facile proni, inertes lacrymas malorum torrenti oppoſuiſſe ſaepius contenti eſſent, niſi, in divinis Chriſtianae Ethices praeceptis, robur atque firmamentum inveniret mitior natura. Etenim tam late quidem patet Religionis auctoritas, ut vel duriora pectora ad humanitatis officia quaelibet allicere valeat: ſed quam rara, quam difficilis, quam

longae exercitationis est tanta animi confirmatio! quam multa vitae commoda is resignare debet, qui omnem vitam consumit aegritudines inter et calamitates, si nullum incitamentum admoveret innatum quoddam afflictis succurrendi dulce desiderium. Arduam profecto sibi viam optat molestiisque plenam, quisquis, hoc amore destitutus, quamcunque medicinae partem factitare aggrediatur; cui neque laboriosissimi operis taedia compensare, neque multiplices injurias solari possit laeta hominum vitae arte servatae conscientia.

Hac conscientia fretus, humanitatis stimulo impulsus, Religione confirmatus, nil respicit obstetricans nisi parturientium et infantum salutem, nihilque negligit eorum, quae illis inservire ullo modo possint. Publicam de rebus obstetriciis opinionem, quippe potentem hominum rerumque dominatricem, ea, qua par est, observantia colit, illamque in civium emolumentum et in artis honorem prudenter moderari studet. Famae suae consulit, qua perdita, tollitur publico commodo inserviendi occasio. Semper enim memorem esse convenit praecepti Celsiani: „ubi gravis metus est sine

cer-

certa tamen desperatione, prudentis est indicare necesſariis, periclitantis in difficili rem esſe, ne, ſi victa ars malo fuerit, vel ignorasſe vel fefellisſe videatur." Neutiquam vero tanti interſit inſervire famae, ut ab auxilio ferendo ſeſe ſubſtrahat unquam: „prudentis enim, quamquam est, teste eodem CELSO, eum, qui ſervari non potest, non attingere, ne videatur occidisſe, quem ſors ipſius interemit;" procul tamen, quisquis religioſe officio fungi cupiat, ab ista, quae est hujus ſaeculi hominum, prudentia abſit, ſemperque perſuaſum habeat, vitam obſcurisſimi hominis ſervatam vel certe productam omni laudi anteponendam, nullumque theatrum, uti verisſime monet CICERO, virtutis conſcientiâ majus esſe.

Nihil vero in arte praeſtantius, aut muneris dignitati convenientius excogitari potest, quam opem ferre tenuioris loci atque conditionis hominibus; quibus, tantum non omnibus vitae commoditatibus destitutis, vita et ſanitas ſola ſunt vivendi pretia. Obſtetricantis quidem non esſe potest, ut ita dicam, habitare pauperum tabernulas, aut inſervire univerſis, qui eum

modo voluerint; verum maxime est ejus neminem prorſus recuſare eorum, qui ipſius auxilio indigent, eorumque ſollicitudines omni humanitate et indulgentia adlevare.

Quo autem pacto ad rem ſuam familiarem animum adpellere poterit, qui, ad pauperum ſalutem adtentus, mercedem non respicit, qui totus est in curandis alienis? Aut fallor, A. A.! aut decet medicum (clinicus ſit an chirurgus vel obſtetricius, eodem redit) gratuito et absque ullo praemio, operam praeſtare egenis, quibus publica cura haud proſpexerit, omnibus. Ab aliis mercedem accipiat, non petat, ac neminem prorſus ad ſolutionem urgeat. Si quis est, qui honoris pro vitae ſanitatisque redditae beneficio debiti, gratiasque illi habendas memoria amittere gaudet; habeat ſibi: medicus ſui officii partes implevit curando corpus, animi aegroti vitia non hujus est tollere. Parvo ſaepe vivere contentus ſit, cui nullum, niſi ex arte, ſuperest victus praeſidium: alia enim longe via comparantur opes: neque mollitie et luxuria vires diffluere ſinat, quarum integritatem requirit laborioſisſimum vitae genus. Scilicet, inter omnes artes, vix ulla molestiis obſtetrici-

am

am ſuperat: ſive corporis fatigationem ſpectes, ſive affectus animi, quem ſaepius agitant hominum miſeriae, nonnumquam conturbat horum injuria, ſuspenſumque ſemper tenet ſummum vitae humanae momentum.

Haec omnia ſi quis ſecum reputaverit, infortunii plenum esſe obſtetricantis officium, et tantis ſollicitudinibus ſuscipiendis et perferendis animum vix ſufficere autumabit. Quotidiana vero experientia conſtat, nullam rem boni publici copia abundare, quin et illius utilitatis aliquam partem in administratorem redundare obſervemus. Sic et ex obſtetricia praxi, quisquis ad illam rite colendam necesſaria comparaverit, fructus capiet minime contemnendos. Laboris quidem praemium raro licet aequale ſit utilitati, quam adfert, aut difficultatibus, quibus premitur, qui hanc artem facit; vix unquam tamen rerum necesſariarum penuriam patietur, ſi paucis contentus vivere didicit, nec fortunam praeripere festinatione gestit.

Non plana equidem ſemper via incedere ſibi proponat: in lubrico verſatur obſtetricantis inprimis fama. Quodſi enim, in partu curando, Natura a ſolito tramite

de-

deflexerit, aut cujusvis generis mala puerperio ſupervenerint, Naturae vel artis culpa in artificem, ut adſpectabilem cauſam, ſaepius transferri ſolet: nec ita infelicem illum, quem ſolus incauti vulgi error perſequatur, nec damnum augeant hominum malignitas, obtrectatio artesque pravae. Sin vero maledicae linguae tela avertere nequeat prudens conſilium; ſi non tandem bona cauſa triumphet; ſi, nec temporis ſpatio, nec amicorum conſolatione, vulnera obduci queant; medicamen adferet bonorum, quotquot ſint, quos vitae ac ſanitati restituit, gratus animus: cujus testimonia haudquaquam dubia vel ficta, perito arte viro munusque ſuum omni religione explenti, nunquam ſunt defutura. Optimum denique laborum omnium ſolatium veraeque felicitatis praeſidium praebet animus, nullius, niſi humanae tenuitatis, culpae ſibi conſcius. Hac conſcientia exhilaratus, vitam, ſuis rebus contentus et erecto animo deget, nec unquam excidet ſpe remunerationis, quam bono et fideli ministro promiſit ipſa veritas.

Dis-

Disciplina obſtetricia, in nonnullis Europae regionibus, jam dudum ex profesſo doceri ſolita, haud ita pridem in Academiis patriis pro dignitate excoli coepit. Non penitus quidem antea illius inſtitutio defuit: etenim quis unquam eximie in hac ſchola docentis quondam CAMPERI fuerit immemor? Partum vero molientis Naturae obſervationi non dabatur locus: quapropter illa disciplinae docendae ratio, futuro medico quantumlibet utilis, arti faciendae haudquaquam ſuppetere potuit.

Anno demum ſuperioris ſaeculi paenultimo, duce et auctore Cl. viro, mihique ſemper venerando Praeceptore DU PUI, Academia Leidenſis gravidis hospitium, et ſtudio artis conſummandae occaſionem aperuit; postquam, iisdem ſub auſpiciis, in pauperum tabernis, experientiae conſequendae opportunitatem, minus facilem quidem, pro tempore tamen ſatis idoneam, ſibi parasſent artis obſtetriciae ſtudioſi.

In nostra quoque Academia Groningana, tantum abſuit ut laudabilia Profesſorum conamina et Magistratuum provida cura ſucceſſu caruerint, ut potius ad dif-

ficultates ſuperandas ſtimuli esſent ipſa harum magnitudo et frequentia.

Quantum mutatus a pristino, quem, XX abhinc annos, mihi conſpicere contigit, praeſens rerum academicarum ſtatus! Nihil abſtulit aetas, nil detractavere calamitoſae Reipublicae tempestates; multa vero meliora et ad temporis necesſitatem magis accommodata esſe, laetus agnosco. Chemiae cultum, pro disciplinae hujus et Univerſitatis dignitate, reſtitutum videmus; praxeos medicae, chirurgicae et obſtetriciae praecepta, aegrotantium ad lectulos hodie tradi ſolita, medicos formant experientia non prorſus vacuos; qui, nostra memoria, mirabile dictu! in majore familiaritate verſabantur cum homine mortuo quam morboſo, nec, niſi ſuo marte vel medicorum favore, ad aegros viſendi occaſionem ſibi comparare poterant.

Talem autem vitae humanae Divina Sapientia voluit esſe conditionem, ut bona addantur malis, ne illorum irruentium copia aut vehementia conquasſati prosterneremur, rerumque adverſarum cum ſecundis intima conjunctio ab effraenato gaudio nos temperaret ac reti-

ne-

neret. Quo quidem animi moderamine, qua fiducia erga ſummi Numinis benevolam providentiam freti, quamcunque ſortem futuram ſubmisſe at fortiter ferre posſumus, praeſentisque temporis felicitate ac bonis grato animo frui, dum vel vulnerum dolores remittunt et rebus adverſis minus agitamur.

Dolemus tamen, vehementer adhuc dolemus huic Univerſitati recens facta jactura; nemoque vestrum est, quin de istius praeſagio anceps haereat, vel infaustum immo eventum pertimescat. Neque profecto is ego ſum, cui tanta pericula occulere fas ſit: etenim justisſimae dubitationi tollendae mihi animus haudquaquam ſuppetit, qui ipſe eo vehementius afflictum me ſentio, quo reipublicae medicae illatae cladis magnitudinem aestimare posſim forte melius. Nostrum enim, mortalium generi maturius ereptum MULDERUM, communi curriculò academico, ſtudiorum et familiaritatis consuetudine devinctum tenebam; posteaque officiis ſemper conjuncti, artis medicae memorabilia ſaepius, et ad ultimum ferme utilisſimae vitae terminum usque, inter nos communicabamus. At quaenam et quanta,

quae ipſi videre et tractare contigit, memorabilia! Quorum quidem enumeratio nullo usquam loco ſuperflua magis cenſeri poterit, quam in hac, quae illius ingenio et fama floruit, Muſarum ſede. Cognovistis omnes, A. A.! virum variae eruditionis et indefesſi laboris plenum; ardentem Naturae penetralium ſcrutatorem; egregii COOPMANSII dignum laudatorem; magni CAMPERI meritorum doctisſimum praeconem; virum ſimplicem, ab ostentatione alienum, gloriolae contemtorem, propoſiti tenacem, veri justique amantem: cujus laudes amici praedicant, repetit optimus quisque, celebrat Academia, in astra tollunt quotquot ab interitu vindicavit familiae.

Tanti viri merita, quum verbis extenuare minime liceat, nec pro dignitate laudare mea dicendi permittat mediocritas, tacita tamen prorſus relinquere et temporis et loci vetabat opportunitas. Quis vero vestrum est, qui non moleste ferret, qui certe mihi ingrato ignosceret, ſi hac ipſa occaſione ſilentio tranſirem, quem complures annos Profesſorem habuit haec Academia, quem docentem audire mihi contigit, Cl.

MUN-

MUNNIKS? Cujus castum, lepore et venustate affluentem sermonem nescio admiratus sim magis, quam ingenii aciem raramque in arte anatomica experientiam et elegantiam. Ut de omnibus, quae dixerit, quae demonstraverit carissimus Praeceptor, bene multa atque praecipua in animum reducere possum, sic mihi nunquam non ante oculos versatur ejus in administranda anatome decus et concinnitas: quorum neglectus, quum insuetos horrore perfundere soleat, justamque indignationem movere omnibus, qui in praestantissimo Naturae artificio summum Naturae Artificem venerantur, impedimentum, si quid aliud, infert salutari eorum consilio, qui, de maximo pathologicae cadaverum sectionis momento persuasi, omni ope enituntur, ne contrariae opiniones in tenues animos radices agant altiores.

Tantae ingenii morumque suavitati an responderit discipulorum amor et veneratio, vosmet ipsi judicabitis, A. A.! quos non fugit, quantum hisce animi dotibus juvenilia pectora devinciri soleant. Vos quoque testor, quicunque de nostro commilitio praesentes adestis: Ecquis erat, qui amore non prosequeretur

eum, quem nostro communi commodo prorsus devotum videbamus? An unquam defuerimus illi, qui nobis semper adfuit, quem praeceptorem requirimus, amicum desideramus, patrem lugemus?

Hisce viris successor creatus, quam grave mihi incumbat opus, ipse sentio: etenim tanti momenti mecum semper esse reputavi docendi munus, ut, illi explendo, vel doctissimi cujusque vires et vita vix pares crederem.

Desperandumne itaque mihi meae tenuitatis probe conscio? Haudquaquam A. A.! ut enim, proximo superioris meae vitae spatio, me sustentavit meorum civium benevolentia, quaeque tanta fuit, ut nihil majus sperare vel et cogitatione comprehendere potuissem, sic laeta spes me tenet, vestrum omnium, quotquot favendo, administrando, docendo vel discendo, res Academiae facitis vestras, indulgentiam mihi non defuturam fore, qui quidquid in me est animi aut voluntatis, aut consilii, qui totum me huic Universitati, atque utinam ne malis avibus sit! adducere constitui:

Vos

Vos autem, perillustres Academiae Curatores, accipite mei omniumque bonorum grati animi testimonia! Vestrae nimirum vigilantiae atque amori in Rempublicam debemus praeſtantisſimos quarumvis doctrinarum et artium Profesſores, Univerſitatis celebritatem, ſtudioſorumque adolescentium numerum tantopere auctum. Vestrae benevolentiae et conſtantiae accepta referimus ſplendida artique medicae discendae utilisſima munera: quae ſi unquam peritura forent — — At vosmet ipſi, Nobilisſimi Viri! prae aliis hujus rei pretium ac dignitatem ſemper perſpexistis; vos pergitis omni favore proſequi univerſam rem Academicam; cui ſervandae et amplificandae ne vobis unquam auxilia deficiant, optamus omnes.

Quid vero relictas mihi Muſas atque Gratias Harlemenſes conſolaretur, ſi non ſit vestrum conſortium, vestra conſuetudo, Cl. Profesſores! Nemine vestrum averſante, pluribus adjuvantibus, in hunc ordinem recepto mihi gratulor: cui vestrae existimationi me ſatisfacturum ſperare quamvis vix auſim, in votis tamen et deliciis mihi ſemper fuit, tam felici potius augurio,

quam

quam omnibus aliis opinionibus, rem aggredi. Atque ſi ulla ſit ſocietas, quae plurimum concordia valet et pia conſpiratione, profecto propter has virtutes utiliſſimum ſit neceſſe est Collegium Virorum, qui unice in inquirenda veritate verſantur; qui, ad ſalutem publicam tantum ſpectantes, ſuo quisque tramite, ad commune bonum concurrunt. Haec vestigia ad veram felicitatem perducunt: haec ſequi mihi propono. Amica manu me ſustinete, Collegae conjunctisſimi! ne ſpe labar, ne vestra vos fallat exſpectatio. Me vero non fallet mea vestrae benevolentiae fiducia: haudquaquam enim in hac Academia ſum hospes: paternam domum intrasſe mihi videor, quum inter Clarisſimos, quibus fata pepercere, Viros, DRIESSENUM ſalutare mihi liceat, dilectisſimum meique ſemper amantem Praeceptorem. Tuae meminisſe non deſinam in docenda chemia facilitatis; qui, ſub profitendae Pharmaceutices et materiae medicae levi titulo, atque tenuisſimo apparatu, artis ſalutiferae tirones flagranti chemiae amore poteras imbuere; illamque doctrinam, fuligine phlogiſtico adhucdum ſqualentem, ad technicos uſus applican-

cando, de nostra Patria inprimis optime meritus es, posteaque ſcholae chemicae praefuisti, tam alumnorum numero quam ſtudiis praeclarae. Tuae inſuper excurſiones botanicae regni vegetabilis ſtudium, cum dedecore medicinae, a medicinae ſtudioſis quandoque neglectum, ſi non ſustinuerint, boni tamen animi probatisſimique conſilii virtutem praedicant. Te denique grati animi benevolentia proſequuntur omnes, quotquot ſuperſtites ſint, qui, te duce, tuos aegros viſitando, praxi clinicae operam navarunt.

Te quoque ſalvum atque incolumem intuenti mihi gratulor, Cl. DE LA FAILLE, honoratisſimum meum, post Celeb. BRUGMANSII obitum, in phyſicis Praeceptorem. Cujus quidem disciplinae ſtudia cum ad ea pertineant, quae, ut uberius jam dixit CICERO, omni vitae ſtudio et conditioni accommodata ſunt, prae omnibus tamen medicum decent; quippe qui artem profitetur, quae, diligenti ἐμπειρίᾳ cautoque ratiocinio exſtructa, praeſidiis partim phyſicis et mechanicis, vires dirigit Naturae humanae, a viribus phyſicis minime alienas, ad conſervandam vel reſti-

tuendam integritatem corporis physici, universalium Naturae legum ordini omnino subjecti; cujusque functionum cognitio, sine naturalium rerum scientia, sordida prorsus jacet atque inculta. Quum itaque primaria medicinae adjutrix sit physica, et, si necessitatem spectes, ad ejus ambitum pertineat, tibi Cl. Vir! honorem atque gratiam habeo non minorem quam Praeceptoribus, qui artem medicam me docuerunt, quibusque eadem religione ac jurejurando Hippocratico devinctum memet sentio.

Et tuus, doctissime THUESSINK! nominari gaudeo discipulus: etenim quis medicus est, quem tua scripta non doctiorem reddiderint? Quis Batavae in medicina gloriae fautor, quin et illa plurimi aestimet? Quod tecum nunc arctissimo studiorum vinculo conjunctus sim, pro honore habeo et suavitatis cumulo; nihilque mihi antiquius, nihil utrique nostrum jucundius, medicinae studiis commodius, aegrotantiumque saluti fructuosius erit, quam, mutuo amore, nostri muneris curas adlevare; quam conjunctis viribus cuncta conferre in medicinae practicae universae doctrinam,

ne

ne haec detrimenti quid in Academia nostra capiat. Sic tuas vires diu conſervet et augeat, ſic nostrum omnium ſpem ſustineat propitium Numen!

Vos denique, cariſsimi Iuvenes, bonarum literarum et artium alumni! Vos inprimis, quos tenet artis ſalutiferae ſtudium! lugetis acerbisſimum funus: lugetis merito, nec unquam, ſpero, vobis excidet, qui rebus vestris totum ſe ſacraverat, MULDERI vestri memoria: idque eo certius confido, cum, de vestro in ſtudia aeque ac in ſtudiorum duces animo, fama veri esſe nuntia jam diu asſuevit. Quodſi me illius amoris participem feceritis, gaudebo, nec vestris deſideriis unquam me defuturum ſpondeo vobisque recipio.

Quid vero vobis dicendum amplius mihi ſuperest? Audivistis ea, quae ad artem obſtetriciam feliciter faciendam maximo ſunt uſui: haec tantum non omnia necesſaria quoque ſunt chirurgo, neque a medico clinico aliena. Medicus autem, qui abſtruſiores morborum fontes detegere, qui cujuscunque ordinis, ingenii, aetatis et ſexus hominum curam gerere, illorumque animos infinitis modis ad ipſorum ſalutem

flec-

flectere debet, medicus, inquam, vir ſit literatus, neque artium, quae ad humanitatem pertinent, rudis atque imperitus. Quicunque ad hanc rationem ſua ſtudia inſtituit dirigitque, multis utilis, gratus omnibus ſibique ſatis esſe poterit. Denique multum hic conferet ad conſervandam doctrinae medicae ſtabilitatem et elegantiam, quae nostrae inprimis Patriae decus ſemper fuit atque ornamentum, praeſtantisſimumque nostrorum Majorum ſapientiae testimonium; quo ut nos, illorum profectibus aucti et uſi, magis magisque digni evadamus, ſumma ope niti quemque decebit.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE REDDAT DEUS O. M.

C O R R I G E N D A.

Pag.	7	lin.	10	argriculturam	*lege:*	agriculturam.
—	35	—	15	afflictantur	—	afflictentur.